Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



perpetua dicunt in quibus nullum certamentum victoriae patiuntur. Tophet autem idest terra lata et spatiosa per quam gehennam intelligimus abiecti spiritus est ab antiquis utrisque patribusque temporibus preparatum est utique et profundum fecit et dilatavit quatenus ille magnus exercitus meus consumi et continui valeat. Quod autem a rege dicit dubie accipi potest vel a deo vel ab eo de quo scriptum est lacum aperuit et effodit eum et incidit in foveam quam fecit. Nutrimenta eius ignis et ligna multa. Omnis enim arbor sicut in evangelio dicit que non facit fructum bonum excidet et in ignem mittet. Flatus ueio spiritus domini qui succendet eam quasi torrens sulphuris eius. a quo semel accensa et rigui ulterius non valebit.

Ve qui descendunt in egyptum ad auxilium in equis spiantes et hinnientes fiduciam super quadrigis quia multae sunt et super equitibus quia pualdi nimis. Et non sunt confisi super sanctum israel et dominum non requisierunt. Ipse autem sapiens adducit malum et verba sua non abstulit et consurget contra domum pessimorum et contra auxilium spiantium iniquitatem. Egyptus homo et non deus et equi eorum caro et non spiritus. Et dominus inclinabit manum suam et corruet auxiliator et cadet cum prestatur auxilium simulque omnes consumentur. Ab eo enim loco ubi dicit populus syon habitabit in ierusalem usque huc interposita sunt. Nunc autem ad eos revertitur quorum egyptum fugere cupientes dicebant. Nequaquam sed ad equos fugiemus. Ar. hoc capitulum illi capitulo continuatur. Vae inquit qui descendunt in egyptum ad auxilium pharaonis spiantes in equis et quadrigis et equitibus valdis. Nec respectantur illius temporis quo dominus currus pharaonis et exercitum eius demersit in mare. Nec illius sententiae qua dicit fallax equus ad salutem. Et non sunt confisi in sanctum israel et dominum non requisierunt. Idcoque maledictionem sibi iacebant. quarum maledictus omnis qui spernit in domine et a domino recedit cor eius. Ipse autem dominus sapiens eorum insipientiam supplantans adducit super eos malum scilicet Nabuchodonosor quem ipsi se fugisse putabant. Oriantes igitur locum non immutaverunt hostem. Et verba sua non abstulit sed opere cuncta complevit. Et consurget contra domum pessimorum videlicet contra iudaeos et contra auxilium operantium iniquitatem. idest egyptios. Sed quid miseri putatis quo ruitis. Egyptus enim sive egyptius homo est et non deus et equi eorum caro sunt et non spiritus. Ideoque et ipsi sicut et vos superari possunt. Et hec nobis notum quoniam iam inclinavit manum suam ad ferendum et corruet pharao auxiliator vester. Et cadet cum prestatur auxilium. quod ad vos respicit. Similiter omnes consumentur ad iudaeos et ad vos.

Quia hec dicit dominus ad me quomodo si rugiat leo et catulus leonis super praeda sua cum occurrerit ei multitudo pastorum a voce eorum non formidabit et a multitudine eorum non pavebit. sic descendet dominus exercituum et pugnabit super montem syon et super collem eius. Sicut aves volantes sic protegit dominus exercituum ierusalem protegens et liberans transiens et salvans. Ut cognoscant inquit viri quia inutile et vanum auxilium est misi ad simul cum egyptiis in quibus spem habuerunt in captivitatem pro dubio deducentur. Sed ut intelligant quia deus adiutor eorum est et deus excelsus redemptor eorum est. Ideo post longa tempora de babilonia captivitate iterum eos liberabit. Comparat autem dominum leoni ut ostendat eius potentiam demonstret. Et quomodo inquit leo stans super predam suam si occurrat ei pastorum multitudo in nihil timet. sic dominus exercituum stans et ipse super montem syon et super collem eius idest super predam suam. populum videlicet qui est in babilone prevalebitur et iudaeos liberabit. hoc autem factum est in tempore cyri regis persarum quando capta babilone iudaei reversi sunt in ierusalem. Quod quidem si ad christum referamus qui dicit leo de tribu iuda pastoribus et pontificibus iudaeorum simul cum insano populo crucifige clamantibus quando predam suam totum videlicet humanum genus de manibus faucibus liberavit satis convenienter intelligi potest. Vnde et subditur. Et sicut aves volantes suos quoque iudaeos ab importunis volucribus defendentes. sic dominus exercituum protegit ierusalem sub umbra alarum suarum manibus videlicet in cruce extensis protegens et liberans in sorte eius protectionem ipsa reminiscentur. Vnde et ipse ait. Quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alis et noluisti. Ideo relinquetur vobis. hoc est enim quod subditur. Transiens et salvans transiens inquam iudaeos et salvans gentes. Sive etiam transiens